













BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

EPITHALAMIVM
IN HONOREM NVPTIARVM ORNATISSIMI ET DOCTISSIMI VIRI D. CONRADI SCHNABELIJ, Scholæ Lichensis prorectoris fidelissimi: & castissimæ virginis ANNÆ FENCHELIÆ, spectatissimi viri AMANDI FENCHELII Senatoris Lichensis prudentissimi filiæ: celebratarum Lichæ 2. Octobris, anno 1581.

Scriptum à

MARTINO CANVTO KNARDORPHIO
Dano.





Luce sacra Phœbus quũ primũ e gurgite vasto
Tolleret Auroram, bigis quæ vecta redibat,
Auratos spargens radios, totumq; pererrans
Luce polum nitida, stellas noctemq; fugabat:
Titaniusq; diem jam tum prædixerat ales:
Languida membra levo lecto demissa quieto:
Ac matutina cupiens vegetare sub umbra
Frondiferi nemoris, viridiq; abscondere in antro,
Exeo turrigera velox atq; impiger urbe,
Hic ubi perplexo vaga Weddera mœnia fluxu
Alluit, & tremulo distringit flumine ripam.
Ingredior silvam conspersam mollibus herbis
(In qua cantatur multas pharetrata Diana
Silvestres domuisse capras cervosq; fugaces,
Ut si forté feram nulla comitante canum vi
Vellet, nec niueis penderet flexilis arcus
Ex humeris divæ, posset tamen absq; sagitta
Ingentem pingui cervum dare sæpe culinæ)
Carpere purpureas nocturno rore madentes
(Suavius his nihil est) cupiens violasq; rosasq;,
Quas nondum fervens solis violaverat æstus,
Nec conculcarat spacioso crure viator,
Quas neq; clamoso bos degustaverat ore.
Has ita dum sector, spaciisq; vagantibus erro,
Forté fit, in rigidam rugoso cortice quercum
Incido, quæ celsis tendebat ad æthera ramis:
Sub qua sole carens gelidum simul extitit antrum,
Floribus æstivis viridi tum gramine amœnum:
Quod circa numen gemmantia prata colore
Pinxerat egregio: tali non Cous Apelles

(Vixerat

(Viveret ipſe licet) docta depingeret arte:
Nec procul hinc aberat fons frigidus atque perennis:
Intus aquæ dulces: feſſus quem ſæpe viator
Acceſsit ſitiens, ſimul ac recreatus abivit.
Ingredior, ſpectoq; locum, feſſusq; reſedi.
Dum ſedeo viridi ſub quercus fronde comantis,
Blandiſono reſonat cantu nemus omne volucrum.
Incepit Philomela graves proferre querelas,
Horrendumq; nefas gemitu deflere frementi.
Alterna reſonant vice Fringilla atq; Coturnix,
Verſicolorq; Merops, & Alauda, aliæq; volucres.
Hinc & cornigeri Satyri Dryadesq; procaces,
Perplacidos celebrant ludos, ducuntq; choreas
Blandas per rigidos dumos: & Thracius Orpheus
Increpitat doctus digitis citharamq; lyramque.
Aſt ego perdulcis dum ſic devincor amore
Cantus, Sol medium lucis trajecerat axem,
Eructans rutilis ferventem faucibus æſtum,
Qui noſtra in facilem deflexit lumina ſomnum.
Stratus humi dulcis cúm me jam ſomnus haberet;
Phemonoe mihi viſa fuit, formoſa Camena
In ſomnis ad me celeri properare meatu:
Phemonoe decus Aonidum, divumq; voluptas,
Ambroſias diffuſa comas, capite atq; coronam
Geſtans inſignem, gemmisq; auroque nitentem:
Candentesque humeros velarat murice & oſtro,
Suſpenſam gaudens á tergo ludere pallam:
A niveo dorſo pendebat picta pharetra,
Atque ſiniſtra arcum geſtabat, dextra ſagittam.

Illa sed audaci profatur talia voce:
Heus juvenis, Paphiæ Charitesq; meæq; sorores
Ad te me mittunt: mittit quoq; Delius ipse:
Adq; ea quæ jubeo, promptus sis atq; paratus.
Non proprias tracto res: sed quæ intonsus Apollo,
Musæ & Pierides mandarunt, hæc tibi mando.
Quãdoquidem lætos Hymenæos noster alumnus
Jam celebrare parat, parat & sibi jungere sponsam
Formosam (quod sit felix faustumque precamur)
Is quoniam aßidué nostri studiosus honoris,
Sedulus ingenio doctas exercuit artes,
Consumpsitq; in eis multas noctesq; diesq;,
Ut semel ad metam posset properare petitam,
Qua nunc exultans gaudet fruiturq; potita.
Et quoniam docilem Lichæ informare juventam
Non ipsum piguit, nec eum labor iste gravavit,
A nobis ampla is meruit jam præmia laudis,
Per doctos quæ alio reddentur tempore vates.
Tu tamen & si qua poteris celebrare Camena
Schnabelium, pergas, quem omni dignißimum honore
Judicat ipse pater, & nos natæ patre dignæ.
Visus eram Ascrææ sic respondisse Camenæ:
Musa mihi exiguo hoc pondus ne impone poetæ:
Nosti etenim nostræ quám sint in carmine vires
Exiguæ: me mitte precor, committe perito
Vati, Mæonio loquitur qui doctius ore.
Ne tamen ingratum me dicat vester alumnus:
Et quoniam dulcis Nympha es mihi carminis autor,
Exigua Sponso carmen modulabor avena.

Ne media fessus stet forté via: simul ipsa
Dic age si quid habes: non omnia possumus omnes.
Serpit humi, nondum didicit qui tendere gressus.
Dixit, & in tenuem velox evanuit auram,
Atque levis subitó somnus mea tempora liquit.
Hæc Conrade meos inter numerande sodales
In somnis postquam visa est Dea dicere nobis,
Te velle Idaliam cum primis ducere sponsam,
Ac lectum casta socialem ascendere mente:
Lætabar duplici causa, sponsæq; tuaque.
Sponsæ equidem, á teneris quæ casta & blanda puella
Vsque fuit, tum munditiæ & pietatis amatrix,
Ac te præclaro dignißima virgo marito.
Nomine Schnabeli vestro lætabar amice,
Quód tibi contingat morata & culta puella.
Culta puella virum doctum decet atque venusta:
Ast malé moratæ maneant tibi barbara turba.
Gratulor ergo animo vobis vestrisque hymenæis.
ANNA tibi, quoniam socialem scandere lectum
Sponsa paras, doctoque viro dare basia casta.
O Sponso felix, & felix virgine Sponsus:
O fortunatum nimium, nimiumque beatum
Sponsum, cui talem contingat ducere Sponsam.
O fortunatam nimium, nimiumque beatam
Sponsam, cui tali contingat nubere Sponso:
Qui propter celebrem doctrinam artesque peritas,
Postremum haud inter doctos sedemque locumq;
Occupat, instructus docta Tritonidos arte.
Quicquid habent Sophiæ sinuosa volumina, novit,
Argutus, facilique potest solvisse labore

Nodos, quos temeré monstrosa sophistica texit:
Sacræ præterea quicquid docuere tabellæ,
Sic legit & legit, sic volvit itemq; revolvit,
Fortiter hæretico cuivis certare paratus:
Ut sicut Phœbi fuerat florentibus annis
Impiger & gnavus devota mente sacerdos:
Sic quoque jam felix Christi queat esse sacerdos,
Cujus eximiæ laudes vulgantur in orbe.
Nomen quid peperit? laudes quid duxit ad astra?
Cura vigil, studium, labor & qui cætera vincit.
Conjunctis simul his labentia tempora vitæ
In studiis posuit Sponsus tuus atque locavit,
Ingenio magnus, major pietate fideq;,
Quæ fruges animi merces rerumque manebunt.
A teneris multum passus, sudavit & alsit,
Verberibusque manus jussas is præbuit olim,
Turpe putans alijs doctrina se esse minorem.
Hunc quũ doctrina, ingenio, Musisq; valere (tẽtes
SOLMENSES COMITES virtute & stirpe po-
Jam cognovissent, omnino non dubitarunt
Ipsi Lichanum celebrem committere ludum:
Cui vigili multis cura sic præfuit annis,
Ut sua vivaci decoraret secula laude.
Pluribus eximias ad cœlum tollere laudes
Nil opus esse tui venientis Sponsa mariti
Nunc duco: celebrat satis ipsum docta Minerva,
Quam semper coluit, fovit, dilexit, amavit.
Ergo Sponsa tuo dextram nunc porrige sponso,
Gaudens te talem nactam sociumque virumque:
Cum quo Nestoreos precor ut feliciter annos

Vivas, & facias hunc pulchra prole parentem.
Sic CONRADE *tibi quoq; gratulor ore animoq;,*
Optaris tibi quód nympham castamq; piamque:
Dulcia quæ tibi sæpe dabit solamina vitæ.
Dulcis in adversis rebus solatur amicum
Conjux: hæc eadem solet & gaudere secundis.
Sic Hebræa suum dilexit Sara maritum,
Conjugis officium fecit, dominumque vocavit.
Sic quoq; Penelope errantem deflevit Ulyssem,
Hunc redeuntem iterum solito dilexit amore.
Usque etiam coluit sic Laodamia maritum,
Occubuit primus qui ad fortia mœnia Troiæ.
En Conrade tibi talis datur aurea costa,
(Has quam virtute eximia superare videbis)
Cui formam Venus attribuit, Virtusque decorem.
Adde quód & justisq; pijsq; parentibus orta est,
A quibus & didicit pia semper fundere vota.
Hanc tibi delapsam tenues ne crede per auras,
Sed tibi concessam divino numine divûm.
Ergo maritali Sponsam circumdato cesto,
Et, quod tæda monet, dextram conjungito dextræ.
Quod restat, precor ut vitam degatis amicam;
Hæc sit Sara tibi, Tobias sis ipse vicißim:
Conjugium vestrum non solvat Hymenq; priusquam
Rhenus in Oceanum guttas exhauserit omnes,
Hercyniæ aut cunctos venator fixerit apros.
Hoc COMES ERNESTUS, *quo nō illustrior Heros,*
Sive togæ spectes, duri seu tempora belli,
Comis & humanus, Musarum fautor & auctor,
Optat, & hoc præsens & mente & voce precatur.

Nec minus EBRARDUS *tibi* BELLERSHEI-
MIUS *optat*
Nobilis, ERNESTI COMITIS *præfectus & au-*
Illi animi pietas vitam virtutibus ornat: *(spex:*
Sic bonitate viget, sic justum temperat æquo,
Dum jus afflictis dicit, populumque gubernat,
Vt non victor amet tantum, sed pars quoque victa.
Tātūdē exoptat LAUTRORUM *stirpe* IOANNES
Antiqua natus, vir candidus atque benignus:
Ille amat & Musas, & honestas diligit artes,
Ingeniisque favet, quavis ratione juvatque.
Optat idem studiosa cohors, patresque verendi,
Quorum nunc initas ornat præsentia tædas,
Lichaque communi testatur gaudia plausu.